

XLIX. Tunc unoquoque hinc inde instante ut quam primum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fieri imperavit dimensus ad corporis sui modulum, componique simul, si qua invenirentur, frustra marmoris et aquam simul ac ligna conferri curando mox cadaveri, flens ad singula atque identidem dictitans : “Qualis artifex pereor !”. Inter moras
 5 perlatos a cursore Phaonti codicillos praeripuit legitque se hostem a senatu iudicatum et quaeri, ut puniatur more majorum, interrogavitque quale id genus esset poenae ; et cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi, conterritus duos pugiones, quos secum extulerat, arripuit temptatāque utriusque acie rursus condidit, causatus nondum adesse fatalem horam. Ac modo Sporum hortabatur, ut lamentari ac
 10 plangere inciperet, modo orabat, ut se aliquis ad mortem capessendam exemplo juvaret ; interdum segnitiem suam his verbis increpabat : “Vivo deformiter, turpiter – οὐ πρόπει Νέρωνι, οὐ πρόπει (ou prepei Nerōni, ou prepei¹) – νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιοῦτοις (nêphein dei en tois toioutois²) – ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν (age egeire seauton³)”. Jamque equites appropinquabant, quibus praeceptum erat ut vivum eum adtraherent. Quod ut sensit,
 15 trepidanter effatus :

Ἴππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει

(Ippôn m' ôkupodôn amphî ktupos ouata ballei »⁴)

ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito a libellis. Semianimisque adhuc irrumpenti centurioni et paenulā ad vulnus adpositā in auxilium se venisse simulanti, non aliud
 20 respondit quam “Sero” et “Haec est fides”, atque in eā voce defecit, exstantibus rigentibusque oculis usque ad horrorem formidinemque visentium.

1 C'est indigne de Néron, c'est indigne.

2 Il faut du sang-froid dans de pareils moments.

3 Allons, réveille-toi !

4 « Le galop des chevaux aux pieds rapides frappe mes oreilles » (Homère, *Iliade*, X, 535)